Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31626
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift



Passionale Sanctorum hyemale. B. V. M. in Goethe.

ac brixienses accolas doctrine magistrio et xpiane
fidei institutis delegatum. Hinc fem est ut secundum
quod preceperat impleretur. scilicet ut omni tempore quo
adiuuaret utriusque ecclesie plebibus pari tenore pas
toralem curam impenderet. preter quod sanxit ut medi
olanensis quam ipse fundauerat principalis ecclesiastici
culminis sedes. aliarumque in ea prouincia ecclesiarum metro
polis perpetualiter habeatur. His ita decursis beatissimus
xpi apostolus barnabas suam cepit accelerare profectionem.
Accitisque discipulis indicat ad diem pasche se hie
rosolimam aduentare. et se xpo opitulante una cum fratribus
et coapostolis ex uoto celebratum iri. fit meror ingens tam
xpianorum quam paganorum qui se toti in eo felicitatis
detrimentum pati clamabant. hoc est si discederet.
si illos pauxillum relinqueret. precipue uir domini sanctus
anatelon lacrimabiliter ac grauiter ingemiscebat. pro eo
quod dixerat se non ultra reuersurum. quia reliquo uite tempore
cum suis esset compatriotis ac fratribus permansurus. illum semper
resolutionis sue diem gratulabunda mente opiens.
quo sui laboris a xpo coronam recipiat. immarcescibi
lem. Quem ita consolabatur magister ut diceret. Quid tantum
mei delectaris presentia. cum tibi xpi ihesu domini mei numquam
defutura sit. Sic enim polliceri uoluit dicens. ecce
ego uobiscum sum usque ad consummationem seculi. Annon de
omnibus eius dictis et operibus ut ego a beatissimo petro
et iacobo magistris ecclesie. sic et tu a me eruditus es.
Numquid aliquid tibi deesse poterit. in uinea patris familias
desudanti. In cum doctrina fidei uirtutum quoque tibi effica
tia non deerit. et que postulauerit impetrabis. His et hiis
ceterisque alleuatum astipulationibus dimisit in omnibus
diligenter instructum. protinusque ad romanum regredi
ens portum. ingressus nauim ad palestine gremi
um repedauit. Hoc usque de primis ecclesie mediola
nensis propagatoribus prout parui tulit captus ingenii.
ex diuersis collecta utriusque lingue paginis ceu dis
color in amenis solet pratis compingi coronula.
satis adnotasse et conglutinasse sufficiat. Nunc uero ab
ipso anatelon tempore usque ad hec que in presenti decur
runt secula gressu licet pendulo stili huius excursum
dirigam. quem nisi tu presul excellentissime dexte
ram extendens benedicas et acuas callis asperitatem.
retinsus incedet per deum.

Passio Anathelonis epi. v

Anatelon igitur epatus apicem
sui magistri sanctissimi bar
nabe uice uelut xpo dante
suscipiens. apostolicis formauit
operibus probis actibus decorauit.
Erat quippe diuine karitatis
igne feruidus. uirtutum nitore
splendidus. iugis parsymo
nie ac uigiliarum instantia pre
cipuus. uerbo dei indesinenter intentus. ita ut commis
sas sibi plebes et assiduis orationibus ad alta perueheret.
et ammonitionibus salubrimis ex profano symulachorum
ritu eruere non cessaret. Et quamquam de sui absentia
magistri non modice angeretur. eius tamen fidelissimis
refocilatus promissis. sancte dei ecclesie agrum instanter ex
colebat et infidelitatis antique procul tribulos abi
ciens. nouelle plantationis fructiferas iugiter ui
tes inserebat. habens denique secum Gaium condiscipulum
suum. eque sanctitatis summe uirum quem ob predicandi
gratiam iam magistri coheres factus. fideli uiolentia
magis quam pertinaci superbia ad suum preripuerat ad
iutorium. Hunc condigno iam tunc presbiterii honori cumula
tum. firmissimum loco lateri inopus ubi comitem asci
uit. Aliquantos etiam ex eis qui crediderant fidei xpiane
decore nitidos et omni morum honestate probatos dia
conos instituit. Ocius quoque illis inuigilantibus ac
ouile dominicum sollicite preuidentibus diuina maies
tas annuit. et fidelis populus multiplicari quamquam
intercedendum ad eorum qui rebelles xpo existebant infini
tam multitudinem paucissimi uiderentur hii qui inter diu
ad audiendum uerbum conueniebant. Porro tam nobilibus
quam uulgo indifferenter uiam salutis. uir sanctissimus
anatelon predicabat. degens maxime in suburba
no ciuitatis ob paganorum rabiem ac spurciciam
euitandam uel et sacri baptismatis signacula et mis
sarum orationumque sollempnia cum his qui fidei uincti erant
sub diuo exequi solitus erat. Fuit autem in pastorali cura
utrarumque sedium annis xiii. ab anno viii claudii
usque ad octauum neronis.

Quo in tempore ordinauit sibi successores duos.
unum mediolane. alterum brixiensis ciuitatis
epm. Constituit gaium condiscipulum in diuinis dog
matibus ad prime eruditum ciue romanum. mediola
nensi urbi ante suum discessum metropolitanum antistitem.
Cui profecto urbi tantum priuilegii a suo nouerat magis
tro concessum. ut sicut inter reliquas italicarum prouinciarum ur
bes. earum dum taxat que ad occidentalem uisus marginem
ab italie synu protenduntur. post romanam arcem nitentis

STIFTS-BIBLIOTHEK ZWETTL

Cod. n° 15